



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. LV. Augustissimum Mariae nomen aurib. cacodaemones
nequeunt excipere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

natum iri quenquam, cuius ad se colendā aliqua ani-
mi propensio fuisset. Id scelesti audientes, qui malè
lucem oderant, è praeclarissimi luminis aspectu re-
pentè auulsi ad inferas, & tenebricosas regiones effu-
gerunt.

MIRAC. VIRG. LV. IV

*Augustissimum Mariae nomen aurib. cacodaemones ne-
queunt excipere.*

SEcesserat à fragilium, caducarum, mortaliumq.
rerum cogitatione casta, & pudica mulier; quā
diù falsa imagine impius omnium bonorum ho-
stis elusit. Ille. n. coelestis ministri formam gerens, fi-
ctoq. ac mentito splendore collucens saepius amice
simplicem alloqui, & cum ea longos sanè sermones
habere. Interrogata ipsa à pio, & integro sacerdote,
uti se haberet; respondit, praeclarè, & feliciter secum
agi, cui quotidie ab Angelo plurima salus diceretur;
à quo saepe occulta coelestia expromebātur. Prudēs
sacerdos, qui sciebat à tenebrōsis Angelis quandoq.
Angelorum lucis imaginem capi, illam amanter mo-
nuit, ut si amplius ab illo inuiseretur, diligenter ue-
rum exploraret. Docuit eo tempore, quo se in con-
spectum Angelus dabat, Deum obsecrādum, ut eo-
dem momento Virginem sanctissimam propriis ocu-
lis aspicere liceret. Purissimam Dei matrem si uidere
contigisset, edixit mulieri, ut ad eius pedes submissè
conclideret; ac si ea in cōspectu sisteret, se uerè ab An-
gelo salutari pro certo habendū. quòd si regina nihil

commo-

commotans abijisset, nō dubium esse testabatur, quāsi
 cacodaemon mulierem in fraudem inijceret. quod
 à sacerdote iussū fuerat praestitit, cū statim impius
 clamare coepit, praesentia sua satis esse, neq. Virgine
 esse exposcendam. Verū dum ipsa ualde etiam, atq.
 etiam summi regis filiam imploraret, obuiam se de-
 dit candida puella; ad cuius pedes repente prostrata
 mulier illis uerbis AVE MARIA, eam saluta-
 uit. Id ubi factum est, statim ficta, & inanis Satanae
 imago, quae mirros mulieri ludos tam diu dederat, uo-
 luci somno simillima effugit. Ea res tantum mulieri
 terrore incussit, ut infania percita, uix intra annū ad
 se redierit. Quis igitur praeclarè non intelligit, quans-
 ta in sanctissimo Mariae nomine uis sita sit; quo proster-
 nuntur cacodaemones; Angeli uerò, ac coelestes ex-
 sultant?

MIRAC. VIRG. LVII.
 Sanctissimis hisce uerbis, AVE MARIA, cacodae-
 mones in fugam conijci.

IN ditone Coloniensi sacerdos, cui nomen erat
 Petrus, desperatione percitus se laqueo suspen-
 dit. Eius concubina, qua cum diu non sine maxi-
 mo flagitio consueuerat, quae Adeleides nominaba-
 tur, terribilis rei spectaculo perterrita, piarum sancti-
 monialium religione se obligauit. Ibi purè uitā agēs,
 cacodaemonem iuuenis formam habentem conspe-
 xit. Eam ille in terram prosternere, atq. arripere ni-
 xus est; quae metu exanimata cecidit. comites ipsam
 in lecto collocant; & dum paullum se recepisset, iterū

ille-